









1714.

34. Ray, Christianus : De precorio
35. Richterus, Iosephus Fabius : De aestimatione  
instrumenti seu inventarii in praeris econo-  
mici locandis.
36. Schott, Iosephus Fridericus : De temporibus nuptiarum  
et auras
37. Schott, Iosephus Fridericus : De prescriptione  
aureas civitatis.
38. Schott, Iosephus Fridericus : De juri singula-  
ritatis militum circa rem apificioriam in  
Saxonia Doctoralis.
39. Segur, Ioh. Theophilus, fec. ius. pro cancellarias.  
Observatio de differentia iudicium et magistratum  
juri dicundi apud Germanos. Programma, quo salen-  
tia Doctoralia Ioh. Gotthopus Neumannus indicat.
40. Segur, Iohannes Theophilus : De alimentis videlicet  
in doksac ex fundo delictis.

1774.

- Y1. Thomassius, Tranquill, fac. iur. pro cancellariis: De jure 1  
retinendi prizias in concursu creditorum. Programma  
jus inaugurations saltem. Comit. Gallobia  
Antonii indicet.
- Y2. Thomassius, Tranquill, fac. iur. pro cancellariis:  
De praediis ecclesiasticis lassis. Programma, 2<sup>a</sup> 4  
saltem doctralia Comit. Augusti Bucheri in-  
dicet.
- Y3. Walzendorff, Adamus Theodosius Augustus, a: Doctoratus 5  
et iudicis gentilicii nobilitum mediatorum in  
Germania speciatione in Germania.
- Y4. Wilke, David Gaspard Acquidius: Observationes iure 57  
ecclesiastici.
- Y5. Wolf, Joannes Augustus: De latinitate ecclesiastica  
in Codice Theodosiano
- Y6. Zoller, Fridericus Galliæ fac. iur. pro cancellariis:  
An specialis communitatio obligatorum efficiat. 3 Pr.  
nam, quæ solenniter inauguras Joannes Petri Saltua  
indicet.

1774

jure 47. Zollerus, Fr. d. Gottlieb: Utram foemina geret dan  
a marito appignoratum constante matrimonio  
 vindicare posse?

48 Zollerus, Fr. d. Gottlieb: Deo, quod iurum est circa  
 havarium particularium remedium statutorum Ham-  
 burgensium part 2. Tit. 17. Et. 19.

49. Zollerus, Fr. d. Gottlieb: De praecipuis, quae dantur  
 a jure locumque differentia.

50. Zollerus, Fr. d. Gottlieb: Utrum monitione datus a  
 patre facta, cuiuslibet postea concursu, credi  
 poterit effectum habeat?

51. Zollerus; Fr. d. Gottlieb: De officio et jure capituli  
 sede vacante.

P21



G.25. num. 42.

19  
1774.34.  
DE  
**P R E C A R I O**  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
P R A E S I D E  
**C H R I S T I A N O R A V**  
PHILOSOPHIAE ET IURIS VTRIVSQUE  
DOCTORE  
A. D. IIII. MAII CI<sup>o</sup>I<sup>o</sup>CCLXXIII  
H. L. Q. C.  
D I S P U T A B I T  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**A V G V S T V S   C O R N E L I V S   S T O C K M A N N V S**  
N V M B V R G E N S I S

---

L I P S I A E  
EX OFFICINA LANGENHEMIA





V I R O

PERILLVSTRI ATQVE EXCELLENTISSIMO  
**IOANNI L.B. A ROTHKIRCH ET TRACH**  
DYNASTAE IN NOEBDENITZ, VNTZSCHEN, CET.  
SERENISS. DVCIS SAXO-GOTH. ET ALTENB. CONSILIARIO  
INTIMO ET CANCELLARIO,

V I R O

PERILLVSTRI ET GENEROSISSIMO,  
**IOANNI SIGISMVNDO PLOETZ**  
SERENISS. ELECTORIS SAXONIAE  
CAPITANEQ. INGENVAE ECCLESIAE CATHEDRALIS  
MISENENSIS,

V I R O

SVMME REVERENDO ATQVE ILLVSTRI,  
**GEORGIO FRIDERICO A BERLEPSCH**  
DYNASTAE IN HENNINGSLEBEN ET LEISLAV,  
SERENISS. SAXONIAE ELECTORIS  
IN CVRIA DITIONVM EPISCOPATVS NVMBVRGENSIS REGENDARVM,  
QVAE CIZAE EST, CONSILIARIO,  
SERENISS. DVCIS SAXO-GOTH.  
SVMMO REDITVVM PROVINCIALIVM COLLECTORI,  
PROVINCIALIS SCHOLAE PORTENSIS INSPECTORI  
ECCLESIAE CATHEDRAL. NVMBVRG. CAPITVLARI,

VIRO GENEROSISSIMO  
**CASPARI GUILIELMO a BERLEPSCH**

DYNASTAE IN HENNINGSLEBEN LEISLAV ET KLEIN GESTEWITZ,

SERENISS. ELECTORIS SAXONIAE

COMMISSARIO CIRCVLI THVRINGICI,

NEC NON

VIRO SVMME REVERENDO AC DOCTISSIMO  
**GOTTHILFF FRIEDEMANN**  
**LOEBERO**

SERENISS. DVCIS SAXO-GOTH.

CONSISTORII ET SENATVS ECCLESIASTICI  
ASSESSORI,

VRBIS ALTENBURGI PASTORI PRIMARIO,  
EIVSDEMQUE DIOCESEOS EPHORO

MAECENATIBVS INDVLGENTISSIMIS

AUGVSTVS CORNELIVS STOCKMANN

150

150

150



*uis me citatus pectoris impetus  
Hinc immorantem legibus eripit?  
Quid mens calescit? quisue sensus  
Aestuat insolitus per artus?*

*O quale tentas Musa mibi melos?  
Et cur reposum barbiton excitas?  
Quid? nonne metro claudicante,  
Iam numeros titubare cernis?*

*At, o PATRONI, parcite, parcite;  
En! VESTRA gratis munera versibus  
Clementer in me fusa pectus  
Et pietas celebrare gestit.*

*Hinc ergo vulgus. Nil humili iuuat  
Cantare buxo: nil popularibus  
Nerius: PATRONIS dedicata  
Gratus ego monumenta ponam.*

*VOS, VOS canamus, sidera Patriae  
Dilecta, quorum tam facilis fauor  
Et cura nostris inuidendum  
Praesidium tribuit Camoenis.*

*VOS, VOS verentes ter cumulabimus  
Plenis acerris thurea munera:  
VESTRAEque vota ter saluti  
Poplite prociduo feremus.*

*Descendat astris candida Faustitas,  
Plenoque cornu munera depluat!  
Descendat astris: mille VOBIS  
Gaudia, mille ferens bonores!*

*VOS porro seruet caelipotens Deus,  
VESTROque longum praesidio frui  
Possint Camoenae, possit alma  
Patria, morigerique ciues!*

*Si VOS, PATRONI ter venerabiles,  
Has gratiose respicatis preces  
Vultu: labori si fauctis  
Porro boni sacilesque nostro!*

*Tunc Musa struttis pectore dedito  
Aris sacratis VOS venerabitur:  
Tunc altiori voce TANTIS  
NOMINIBVS pia verba fundet!*

+ 

**I**nterdicta, quibus Romani vix utilius quidquam, aut ad reipublicae commodum promouendum ciuiumque salutem tuendam fructuosius excogitare potuisse vindicentur, cum ad reuocandam possessionem rei vindicatione usu multae plerumque ambages, difficultates haud exiguae obilicerentur, contra vero horum ope, vt Imperatores Arcadius et Honorius in *L. 14. C. de agric. et censit. et colon.* nec non *L. 4. C. Theod.* unde vi dicunt, ciuibus celeri reformatione aut redhibitione succurreretur, atque consuleretur, vulgo in prohibitoria, restitutoria, et exhibitoria, item in ea, quae adipiscenda, quae retinenda, quae denique recuperanda possessionis causa comparata sunt, diuidi, tam notum est, vt nec fugiat eos, qui vel leuiter iuris civilis romani principiis imbuti sunt. Intelligebantur autem olim in vniuersum per interdicta, ut Iustinianus in *pr. Inst. de interd.* scribit, formae atque conceptiones verborum, quibus Praetor aut iubebat aliquid fieri, aut fieri prohibebat, quod tunc maxime faciebat, cum de possessione aut quasi possessione inter aliquos contendebatur. Quocum etiam conueniunt, quae a Theophilo lib. *IV. tit. 15.* ad notio nem interdictorum melius illustrandam allata sunt, e cuius loco, quem apponere non est necesse, cum sit iam saepenumero ab aliis excitatus, manifesto perspicimus, interdictum nihil aliud fuisse, quam sermonem Praetoris interloquentis inter duos de possessionis iure litigantes, quo iudicem, quem de facti quaestione dare solebat, instrueret, quomodo in hac controuersia cognoscenda et iudicanda se gerere deberet, aut, vt breuius dicatur, informationem futuri de possessione iudicii. Fore sane ab instituto nostro alienum, disputare multa de verbo interdicti, cuius derivationem et significatum varie attulerunt Iustinianus c. *I. Isidorus Orig. V. 24* nec non Anianus ad *Pauli Sent. Recept. lib. V. tit. 6. §. 1.* propterea, quod fusius de hac re exposuerunt Alciatus lib. *3. parerg. cap. 15.* et ad *L. 178. §. 2. D. de V. S. Hug. Donellus ad D. h. t. num. 3. lac.* Cuicacius ad *tit. C. de interd.* et qui ex instituto hoc argumentum tradauerunt Petrus Fride rus

rus Mindanus de *Interd.* P. I. nec non Ios. Fern. de *Retes de inter-*  
*dit.* et *remed. possess.* ap. Gerard. Meermannum in *Theſ. iur. ciu.* T.  
 VII. p. 496. Interim tamen non diffiteor, mihi inprimis placere,  
 quod verbum *interdicere* ill. et eruditissimus academie noſtrae Ante-  
 cedor I. L. E. Püttmannus in elegantissime ſcripta diſputatione de *Sal-*  
*uiano interditio cap. I. pag. 17.* vbi omnes et veterum, et recentiorum  
 diuersas de etymologia ac ſignificatione huius vocis ſumma cum in-  
 dufria congeſſit opiniones, explicat, per *imperare*, cum, quae ibi  
 excitauit Vlpiani, Ciceronis, atque Arnobii loca, hoc optime vi-  
 deantur conſirmare. Nec animus eſt, hoc loco diſputare aduerſus  
 eos interpretes, qui diſtinguit commenti ſtatuant, actionibus tan-  
 tum addiditum iudicem fuſile, ne uitiam vero interdictis, vbi ſolum  
 Praetorem cognouiffe, iudicis vero ne vilas quidem partes fuſile ſibi  
 perſuadent. Satis enim vanam eorum ſententiam Theophilii auſtori-  
 tate poſt Ian. a Costam ad pr. *Inst. h. t.* et Gu. Ott. Reitzium ad  
*Theophil.* p. 889. conſutauit idem Excell. Püttmannus e. I. p. 8. vbi  
 praeter alios locos ab Ant. Schultingio ad *Pauli recept. ſent. lib. V.*  
 tit. 6. in *Iurispr. Anteſt.* p. 453. nec non ab Ev. Ottone ad pr. *Inst. h.*  
*t.* excitatos, in primis duobus ad contundendam hanc opinionem ido-  
 neis locis Vlpiani L. 15. §. 7. D. quod vi aut etiam atque Pomponii  
 L. 21. pr. D. evd. alia omnia docuit. Hoc vnum obſeruandum ve-  
 nit, nouifimo iure interdicta non amplius reddi a Praetore ſolenni-  
 bus verbis, neque ex interdictis prodiſtis actiones dari, ſed ſine inter-  
 dictis ad eorum exemplum actiones in factum concedi, id quod  
 conſirmatur tum Triboniani auſtoritate, qui titulum D. ſic concepit,  
 de *interdictis*, ſive *extraordinariis actionibus*, quae pro his competunt:  
 tum Imperatorum Arcadii et Honorii ſanctione in L. 4. C. de *interdictis*,  
 vbi dicunt: *Si quis quodlibet interdictum efflagitat, ruptis veteribus*  
*ambagibus, inter ipsa cognitionum auspicia actionem exprimere, ac suas*  
*allegationes iubeat proponere: quin etiam ipius Iustiniani verbis pr.*  
 I. de *interd.* quae ſic habent: *Sequitur, ut diſpiciamus de interdictis*  
 ſeu actionibus, quae pro his exercentur: et §. 8. *Inst. evd.* de ordine et  
 vetere exitu interdictorum ſupervacuum eſt hodie dicere. Nam quo-  
 tiens extra ordinem ius dicitur, (qualia ſunt hodie omnia iudicia) non  
 eſt neceſſe reddi interdictum, ſed perinde iudicatur ſine interdictis, ac ſe-  
 utilis actio ex cauſa interdicti redditio fuſſet. Inter haec autem inter-  
 dicta maxime reſtitutoria, et quae recuperandae poſſeſſionis cauſa

com-

✚      ♀      ✚

comparata sunt, cum non ultimum videatur locum occupare id, quod Praetor de precario reddidit, de quo adeo in Digestis et Codice peculiares tituli occurunt, de eo, specimen diligentiae edere iussi, commentari nonnulla tamquam insimul precarii naturam indagare nobis proposuimus. Nam et si hoc iam factum est ab aliis doctis vi-  
ris Io. Strauchio <sup>a)</sup> potissimum, Petr. Mascouio <sup>b)</sup>, Henr. Feltzio <sup>c)</sup>, et Aug. Leysero <sup>d)</sup>, quorum de hoc arguento scriptae disputationes eruditorum hominum notitiam hanc fugiunt, ut adeo id denuo tractare instituentes laborem inutilem ac prorsus superfluum suscepisse quibusdam videri queamus; materiae tamen praestantia atque utilitate permoti ex existimantes, nouam illius expositionem non inuicem cundam lectoribus futuram esse, nostras quoque de ea cogitationes in publicum duximus proferendas. Humanissimos autem lectors, ut errores commissos benigne corrigant, et iuuenili aetati aliquam veniam dent, vehementer cupimus rogatos.

## I.

*Precarium quid sit, quotuplex, et quo modo constituantur?*

Ac primum quidem precarii nomen, quod in libris iuris civilis usitatis longe est et crebrius singulari quam plurali numero, dum solus Paulus L. 14. D. de precar. plurali precariis usus videtur, constat descendere a precibus vel a precando. Quamquam enim non semper precarium est, ubi preces adhibitae, quandoquidem etiam mutuum, commodatum, atque conduitum debent rogatu impetrari, ut e L. 11. D. de reb. credit. intelligimus, ubi Vlpianus ait: *Rogasti me, ut tibi pecuniam crederem: nec non e L. 5. §. 7. et L. 22. D. commodat. in quo utroque loco Vlpianus et Paulus dicunt, quandam commodatum rogasse; itidem e L. 16. D. de per. et comm. rei vendit. ubi Iauolenus loquitur de emtore serui, quem conduitum rogauit, ut alia loca iuris civilis adusta iam a Barn. Brissonio de V. S. sub vot. precarium et Strauchio c. 1. cap. I. §. 7. excitare omittant: preces tamen hoc in negotio maxime oportere intervenire, ipsa rei natura suadet, ita, ut sine his precarium vix videatur mente concipi cogitarique posse.* Precarium autem

a) Io. Strauchius de precario len. 1674.

b) Petr. Mascouius de precario Gryphiswald. 1704.

c) Henricus Feltzius Excerpt. Contr. illuſtr. de precario Argent. 1714.

d) Aug. Leyserus, cuius de precario dissertatio Helmstadii 1729. defensio, postea eiusdem Meditat. ad Digest. T. VII. inserta est p. 746. sequ.



autem Vlpianus L. 1. pr. D. h. t. finit, quod precebus petenti utendum conceditur tam diu, quam diu is, qui concessit, patitur. Itaque precarium est res alteri roganti concessa, licet etiam pro ipso aequali, quo cuidam ad preces aliquid datur, accipi possit. Reprehendit hanc Vlpiani definitionem Aug. Leyserus in *Meditat. ad Digest. Spec. 510.* tanquam minus accurate et perfundorie compositam propterea, quod ei insertum sit, quod plerumque fit. Neque enim necessarias esse dicit preces in precario, posse etiam hoc sine illis confidere, immo naturae rei conuenire, ut preces in constituendo precario absint, et esse potius pactum, quo quis usum rei vel iuris sui alteri concedit, ita, ut aperte praeseferat, velle se quandocunque reuocandi facultatem habere, manifesto etiam obstat Vlpiano verba Iulii Pauli *recept. sent. lib. V. tit. 6. §. 11. ap. Ant. Schultingum in Iurispr. Ant. p. 461.* inquit: *Precario possidere videtur non tantum, qui per epistolam, vel quacunque alia ratione hoc sibi contedti postulauit, sed et is, qui nullo voluntatis indicio patiente tamen domino possedit.* Verum enim vero etis Leysero largiri possumus, definitionem hanc Vlpiani magis descriptionem esse more veterum ICtorum compositam, nec inepte precarium pactum dici posse: tamen naturae rei conueniens videri, ut preces in constituendo precario absint, neutiquam probavit. Neque suffragantur huic sententiae Pauli verba. ICtus enim cum dicit, eum videri precario possidere, qui nullo voluntatis indicio, paciente tamen domino possidet, nihil aliud vult, nisi hoc, cum quoque, qui finito tempore precarii, paciente domino possidet, licet ad hoc tempus non rogauerit, videri precario possidere. Id quod etiam Vlpianus L. 4. §. vlt. D. de precar. manifesto innuit. Intelligitur enim dominus, cum patitur eum, qui precario rogauerit ad tempus, ulterius possidere, rursus precario concedere. Vnde lac. Cuiacius cum ad illum Pauli locum notauit, patientia precarium reintegrari, non tamen initio patientia constitui, haud inepte verba ICti interpretatus esse, aut iis viam fecisse dicendus est, quicquid etiam Leyserus contra philosophatus sit. Nam in precario constituendo utique oportet preces adhiberi, aut verbis, aut scriptis. Et quomodo satisfaciet Leyserus Vlpiano L. 2. §. 3. D. b. t. qui expresse dicit: *Habere precario videtur, qui possessionem vel corporis, vel iuris adeptus est, ex hac solummodo causa, quod preces adhibuit, et impetravit, ut sibi possidere aut uti liceat.* Vnde et Vlpianus L. I. §. 1. D. h. t. vocat genus

genus liberalitatis, quod ex iure gentium descendit, nempe ex eo, quod ex pacto venit, et Paulus L. 14. D. h. t. ait, magis ad donationes et beneficiorum causam, quam ad negotii contracti spectare precarii conditionem: licet alioquin certum sit, peculiarem formam et modum id habendi exequendique per ius ciuale praetorium ei accessisse. Cum vero interdum virsus rei in precario concedatur, interdum ipsa possessio in rogantem transferatur; nemo non videt, precarium vel solius virsus, vel etiam possessionem esse. Certe hanc divisionem expresse confirmant loca iuris civilis L. 2. §. 3. L. 4. §. 1. L. 6. §. 2. et 4. L. 12. pr. L. 15. §. 4. L. 17. D. de precar. Et precarium possessionem quidem constitui posse vel inter praesentes, vel inter absentes: veluti per epistolam, vel per nuncium ostendit Caius L. 9. D. h. t. Quando autem in iure dicitur precario rogantem ut sibi possidere liceat nancisci possessionem, hoc intelligi debeare de naturali possessione manifestum est. Nam ciuiliter non possidet, neque precario concedens animo a possessione discessit, licet illi corporalem possessionem cesserit, de qua vtraque possessione accurate egit Cuiacius Lib. IX. Obs. c. 33. Tradi autem solet res precario vel vere, vel quasi, h. e. si patitur concedens rogantem precario habere rem incorpoream, vel etiam per fictionem, si nempe rogans iam alia ex causa rem possideat, veluti si, qui pro possessore possidet, rogauit dominum, ut sibi rem retinere liceret, nam unumquemque posse rem suam, quamvis non possideat, precario dare ei, qui possideat, scribit Julianus L. 18. h. t. vel is, qui alienam rem emiserit, dominum rogauerit, ut ipsi permitteret eam possidere, L. 22. pr. D. h. t. ubi Venuleius hoc expressis verbis dicit, et insimul addit, non existimandum esse, mutare sibi causam, h. e. modum possessio-nis, quibus concedatur a domino precario possidere. Nam est, qui id, quod possideant, alium precario rogauerint, videantur ex prima causa possidere desinere, et incipere ex precario habere: tamen teneri eos precario scribit, quemadmodum etiam contra tenetur, si possessorem precario rogauerit, qui rem ei auocare posset, propterea, quod aliquid ad eos peruenit per hanc precarii rogationem, nempe possessio, quae aliena sit. Et spe-stant hic quoque, quae Julianus apud Vlpianum L. 6. §. 3. D. h. t. ait, eum, qui vi alterum deiecit, et ab eodem precario rogauit, desinere vi possidere, et incipere precario: neque existimandum, sibi ipsum possessionis causam mutare, cum voluntate deieci coepit pre-



cario possidere: nam si ab eodem emisset, incipere etiam pro emto-  
re posse dominium capere. Quae verba pro emtore posse dominium  
capere Accursius et Gregor. Maiansius Tom. II. Disp. LXVI. n. 16.  
intelligunt de praedone, qui, postquam emit fundum ab eo, quem  
antea vi deiecerat, vsucapere possit, putantque vi deiectum non do-  
minum, sed bonae fidei possessorem esse oportere, quoniam, si do-  
minus fuisset, sola venditione ac nuda voluntate in emtorem dominii  
transstulisset, nec denuo praedo deberet pro emtore rem vsuca-  
pere L. 4. §. 10. de usurp. et usucap. L. 12. §. 7. D. de captiu. et poftl.  
revers. cum ei iam ex causa traditionis, vel quasi traditionis dominii  
contigisset L. 3. §. 4. D. de acq. vel amitt. poft. Iac. Cuiacius au-  
tem Lib. XXIV. Obj. cap. 13. ea interpretatur de praedone, qui do-  
minium fundi emit a domino vi antea deiectione pro emtore possessionis  
atque ita pro suo, non pro vi possessio vt L. 32. pr. D. de usucap.  
capit, ita, vt res vi possessa, quam, postquam emit a domino et  
traditam accepit praedo, desit vi possidere non a praedone ipso, sed  
ab alio quandoque vsucapi queat quasi purgato peruationis virtus, et  
dicit, Accursum locum hunc sic intellexisse, sustentandae differen-  
tiae causa, quam constituerat inter rem furtivam et rem vi possessam,  
quarum illam non aliter, quam si in domini vel heredis eius eo mo-  
do, quo auelli ab eo nequeat, potestatem redierit, hanc vero vsu-  
capi posse communiscitur, etiam si in non domini potestatem perue-  
nerit, qui per vim fundi alieni possessione deiectus sit, contra mani-  
festam sententiam L. vlt. D. de vi bonor. rapt. et §. 8. Inst. de usucap.  
Contra vero Em. Merilius Variant. ex Cuiat. Lib. III. cap. 28. opin-  
atur, etiamsi dominus fundum suum, antea a praedone vi pos-  
sessum, postea ei vendiderit, et quasi tradiderit; tamen adhuc  
opus esse vsucapione, quo dominium ciuale, seu ex iure Quiritium  
praedo acquirat, quia fundus quippe res mancipi in Italico solo,  
cerre ante Iustiniani tempora, cum differentia inter res mancipi et  
nec mancipi duraret, non nisi per mancipationem potuit alienari,  
vt auctor est Boëtius Lib. 3. Comment. in Top. Ciceron. hic  
autem non constare, fundum a domino mancipatum fuisse ac tra-  
ditum, sed videri potius quasi traditum. Verum enim vero non in-  
telligo, cur haec verba necessario de usucapione explicari debeant?  
Estne enim probabilius, Julianum, quemadmodum priori loco dixit,  
incipere precastio possidere; sic et posteriori dixisse, incipere etiam

pro

pro émtore dominium capere; h. e. acquirere? Neque audeo aliquid emendare cum Cuiacio, cui illud posse decurtata vox possessio-nis videtur. Quamuis enim non sit negandum, locutionem in h. l. incipere posse capere confectam ex tribus infinitius duram esse et inelegantem: tamen, cum locus ceteroquin idoneum habeat sensum, neque frustanea solum sit, sed noxia etiam omnis, quae in verbis legum ad elegantiam redigendis ponitur, diligentia, ut recte censuit V. A. I. E L. Püttmann in *Praef. ad Metel. Iur. Civ.* nec nostri officiū esse existimamus locutioni elegantiam conciliare; de sola tantum integritate verborum solliciti. Sed redeamus ad rem. Precarium vidi-mus e L. 4. §. 4. D. de prec. ad tempus rogari posse. Sed idem potest quoque prorogari in ulterius tempus, ubi tenendum: aut tempus nondum praeterlapsum est in quod rogatum erat, et manet adhuc precarium; aut iam venit tempus diesque praeteriit, in quem rogatum erat, et soluta est iam precarii causa. Priori casu non mutatur causa possessionis, neque constituitur denuo, aut redintegratur precarium; sed in longius tempus profertur; posteriori casu contra noua eius causa constituitur, h. e. denuo pactum de re precario conce-denda initur: quam differentiam tradit Pomponius L. 5. D. h. t.

## II.

*Precarium quomodo a donatione et commodato differat?*

Discrimen, quod precarium intercedit atque alia negotia, est si non opus est hoc loco multis exponere, cum iam sint latius prosciuti Iac. Cuiaci L. IV. Obs. c. 7. et XXIII. c. 21. Franc. Duarenus Lib. I. Disput. cap. 14. Ant. Faber de error. Pragmat. det. 4. error. 9. Donellus et Hilligerus Lib. 14. cap. 34. et qui omnium copiosissime convenientiam et inconvenientiam, quam cum donatione, commo-dato atque deposito precarium habet, explicit Conr. Rittershusius ad L. 23. D. de R. I. pag. 67 seq. tamen, ne plane illud intactum reliquise videamur, potiores saltem differentias precarium inter ac donatio-nem atque commodatum iuuabit apposuisse. Tradit eas Vlpianus L. 1. §. 2. D. h. t. Et distat, inquit, precarium a donatione eo, quod, qui donat, sic dat, ne recipiat: at qui precario concedit, sic dat, qua-si tunc recepturus, cum sibi libuerit precarium saluere. Et est simile com-modato; nam et qui commodat rem, sic conmodat, ut non faciat rem accipientis: sed ut ei vii re commodata permittat. Nempe in donatio-ne transfertur dominium rei in perpetuum in donatarium, nec pot-



est ea nisi certis de causis reuocari; in precario autem non item, cum rem precario concessam oporteat restituи precario concedenti, quandocunque ipsi placuerit. In commodato autem, cui simile esse dicit ICtus precarium, licet hoc ipsum ab illo longe differat, res iterum secus se habet. Nam in illo quidem, cum obligatio vltro citroque nascatur, commodans rem non fungibilem gratis in certum ac definitum usum datam, cuius tamen possessio non transit in commodatarium L. 8. D. tomittodat. non prius reuocare, eiusque restitucionem in specie virgere potest, quam visu demum finito L. 1. §. 1. D. eod. §. 2. Inst. quib. mod. re contr. oblig. in hoc vero precario concedens rem gratis quidem, et ex mera liberalitate, sed ad indefinitum usum traditam L. 1. pr. §. 2. L. 2. §. 2. D. de pretor: cuius etiam possessio nonnunquam in rogantem transfertur, si ita conuentum, L. 15. §. 4. D. h. t. quandocunque ipsi liberit, adeo importune et intempestive reuocandi facultatem habet. Potest enim mutare suam voluntatem pro arbitrio, neque expedito termino precarium repetere, adeo, vt nec expressa conuentio de precario ad certum tempus tenendo villas nanciscatur vires, sed nihilominus concedens precarium reuocare possit? Scribit enim Celsus L. 15. pr. D. h. t. cum precario aliquid datur, si conuenit, vt in Calendas Iulias precario possideat: numquid exceptione adiuuandus est, ne ante ei possesso auferatur? Sed nulla vis est huius conuentoris, vt rem alienam domino inuito possidere licet. Questionem hac occasione motam a viris doctis, vtrum precarium confessim atque res concessa est, reuocari queat? an vero is, qui rem precario concessit, cogi possit permittere roganti, vt saltem modico tempore precario vtatur, quae opinio maxime fedit Panormitanus ad cap. vii. X. de pretor: copiole tractauit Petr. Mascalvius c. l. Tb. 13. et iam ante hunc Ant. Contius ad L. 23. D. de R. I. p. 20. nec non Rittershusius c. l. p. 68. seq. qui eam quippe iuri contrarium reprehenderunt, recte probantes, precarium statim repeti posse, cum natura illius id utique patiatur. Nec obici potest, valde importunum esse roganti precarium, si ipsi res auferatur ante coepit vel finitum usum, cum conditio precarii ad beneficium causam spectet; et eum, qui postquam conuenit, ne precarium repeteret ante certum tempus, tamen ante reuocat, agere aduersus paclum, fallereque fidem, quod graue sit et naturali aequitati contrarium perfidiaeque plenum. Etenim quod prius attinet, cum precarii naturam non ignorauerit, certe non

non debuerit ignorare rogans, sibi imputet, cur non potius commodato rem et ad certum, quam precario ad incertum usum sumferit, qui penderet a sola concedentis voluntate, quam hic facile mutare et precarium pro arbitrio repetere poterat. Haud enim mouebit quemquam Papinianus L. 75. D. de R. I. dum scribit, neminem posse mutare consilium suum in alterius iniuriam. Nam haec regula et si in commodato valebit; hic tamen locum habere non potest, cum haec mutatio consilii haud dici possit cum iniuria precario rogantis coniuncta esse, dum concedens in re pro lubitu revocanda nihil aliud agit, quam ut iure suo vtatur, quod vnicuius licet. Deinde quod posterius attinet, tenendum, quae leges de custodienda fide pastorum iubent, vera quidem esse de validis atque utilibus pactis, neutiquam vero de inutilibus, quibus quidem qui non stetit, haud dici potest fidem fregisse. Itaque nec pactum de precario ante certum tempus non revocando, quippe nullum et inutile, naturaeque precarii prorsus repugnans proficiet roganti ad exceptionem pacti vel doli mali propterea, quod nos debuit pacis sensu conventionem hanc vim nullam sortiri posse, sed potius pro plane non adiecta haberi. Neque obstat L. 4. §. 4. D. de prec. in qua licet de precario ad tempus concessio, agatur, neutiquam tamen dicitur precarium ante hoc tempus, si forte concedens ipse sentiat, se carere illo amplius non posse, aut etiam pro lubitu roganti id diutius datum nolit, repeti non posse. Quam quoque sententiam, licet alia ratione, defendit Struulus Decis. Sabbath. cap. 4. decis. 10. vbi docet, id nec hodie secus se habere, si tale pactum adiectum sit. Nec existimandum, si pacis sensentes absolute voluerint, ut pactum hoc omnino seruari debeat, negotium hoc in aliud genus conventionis transire, ut v. c. commodatum sit magis, quam precarium, haud repugnante significacione verborum, quemadmodum statuit Marc. Ant. Delrio ICTus Hispanus ad L. 23. D. de R. I. Quodsi enim concedenti non alia mens fuit, quam precarium usum largiendi, quomodo queso is dici potest in aliam conventionem consensisse?

## III.

*Precarium an sit contractus?*

Superest adhuc, ut dispiciamus, an precarium sit contractus? Si notionem rei ante oculos habeamus: mirabile profecto videri potest, quaestionem hanc moueri. Nec tamen hoc immerito fieri debet,



bet, cum viros doctos videamus super hoc argumento in diuersas  
 abire sententias. Nam Vulteus quidem ad §. 2. I. quib. mod. re contr.  
 obl. et Gudelinus de iure nouiss. L. VIII. c. 4. precarium contractum  
 verum nominatum, Ant. Contius autem c. 1 p. 26. Hug. Donellus  
 ad D. nec non Treutlerus vol. I. disp. ad. 24. innominatum, ipse de-  
 nique Cuiacius L. IV. obs. c. 7. quasi contractum esse crediderunt.  
 Occasionem huic opinioni praebuit Ulpianus, qui L. 23. D. de. R. I.  
 vbi de culpa in contractibus praestanda agit, precarium quoque inter  
 eos numeravit. Sed vti recte iam monuerunt Iac. Cuiacius ad D. h.  
 I. et Rittershusius c. l. p. 69. precarium a ICto affinitatis et similitudi-  
 nis tantum causa, quam cum commodato habet, inter contractus  
 relatum esse, cui adiici potest etiam hoc, quod contractus appellatio  
 generaliter ibi posita videatur pro quacunque obligatione ex conuen-  
 tione tam tacita, quam expresa, vt subiecta exempla demonstrant:  
 ita quoque praecclare docuit Petr. Mascouius c. 1. Th. 45. 96. illud  
 neque contractum nominatum, neque innominatum, do ut facias,  
 multo minus quasi contractum appellari posse. Nam iste speciale no-  
 men habet, et specialem producit actionem, quod fecus est in pre-  
 cario, quo continetur non certus contractus, sed generalis ad omi-  
 nes res precibus ab altero sive ad possessionem, sive ad usum impe-  
 tratas spectans: nec competit vlla eo nomine iuris civilis actio, L. 14.  
 D. de precar. in illo vero ex natura contractuum innominatorum ver-  
 ba dare dominium transferre, et facere in vicem compensationis, pro  
 eo, quod datum est, perficere ac praestare L. 7. §. 2. D. de pass.  
 L. 5. I. seq. D. de praefr. verb. significant, quam vim in precario ha-  
 bere non possunt, cum dare, si pro precario concedere usurpatur,  
 valde improprie sit dictum, neque fatere, pro restituere adhibendum  
 videatur. Nec potest obiici, quod L. 2. §. 2. et L. 19. §. 2. D. h. t.  
 dicitur, cum quid precario rogatum est, non solum interdicto hoc  
 nos vti posse, sed et incerti conditione, i. e. praescriptis verbis,  
 sive in factum actione. Neque enim solum quae ex contractibus in-  
 nominatis nascuntur, actiones in factum seu praescriptis verbis. dici so-  
 lent, sed et eae, quae ex contractibus incerti nominis, vel alii deficien-  
 tibus actionibus ex aequo et bono, sive ut Ulpianus L. 2. §. 2. D. h. t.  
 loquitur, ex bona fide in subsidium dantur, L. 2. 3. et 11. D. de praefr.  
 verb. et in factum act. vti erudite rem exposuit Em. Merillius Obs.  
 III. 26. VI. 7. VIII. 14. seq. et 24. In hoc tandem quasi contractu  
 negotium

negotium ciuile adest sine consensu alterius et expressa conventione contra dictum L. 25. §. 14. D. famil. hercif. quod iterum secus se habet in precario, in quo quippe vtriusque et rogantis et concedentis voluntate statim ab initio opus est.

## IV.

*Precarium qui dare et accipere possint, vel non possint?*

Iam vero ordo disputationis postulat, ut recensum instituamus personarum, quae precarium dare et acciperé vel non possunt. Et in uniuersum omnes, qui libera res suas administrandi facultate gaudent, et alienare et acquirere, suamque conditionem meliorem reddere valent, neque natura, lege aut consuetudine prohibentur precarium concedent et accipient, aut ut quidam ob affinitatem precarium inter et comodatum dicunt, omnes qui commodare, etiam precario concedere possunt, et quibus commodari, iis etiam precario concedi posset. Itaque sine sexus discriminē masculi et foeminae, tum ipsi, tum per alias extraneos homines, v. c. tutores, curatores, procuratores, mandato instructos, aut ratihabitione domini secuta L. 6. §. 1. D. de prec. quin etiam per potestati ipsorum subjectos recte precarium dant et accipiunt. Vnde per filios tam naturales, quam adoptiūos, qui precario rogauerunt, L. 16. D. h. t. aliquis potest precarium accipere, nec non per seruos, L. 4. §. 2. L. 13. D. h. t. sicut et is, qui seruum alterius aliquid precario rogauit, a domino illius id ratum habente, videtur precario habere L. 19. §. 1. D. h. t. Pupillus quoque sine tutoris auctoritate rogare precario et possidere potest. L. §. 1. D. h. t. Contra vero prohibentur precarium dare et accipere, qui sensu penitus omnique intellectu destituti sunt, cum voluntatem suam declarare recte nequeant, ideoque nec consentire nec pacisci, vt surdi et muti ita statim nati, vt nec loqui, nec scribere possint, infantes, quippe actu rationis et iudicio nondum praediti, mente capti, perpetuo furiosi, et his qui aequiparantur, prodigi, posteaquam his magistratus decreto administratione honorum est interdictum. Occasione furiorum tenendum insimul est, quod Marcellus apud Vlpianum L. 6. pr. D. h. t. ait, qui et illius opinioni adstipulatur, nempe in precario ad tempus concessio, si interea dominus concedens surere cooperit, aut decesserit, id non posse redintegrari. Sic et Iulianus L. 19. pr. D. h. t. scribit, duos in solidum precarium habere non magis posse, quam duo in solidum



lidum vi possidere aut clam: nam neque iustae, neque iniustae possessiones duae concurrere possunt. Verum tamen an res eadem a duobus possideri queat in solidum, apud veteres iuris autores non extra dubitationem positum fuisse pateret L. 15. §. 4. D. h. t. vbi Pomponius postquam dixit, eum, qui precario rogauit, ut sibi possidere liceat, nancisci possessionem, non dubium esse, pergit. *An is quoque possideat, qui rogatus sit, dubitatum est?* Disceptabant nempe super hac re inter se Proculiani et Sabiniani. Hi duos possessores admirerunt: illi non item. Nam Trebatius, et qui veterum sententiis studere solet Sabinus existimant, possessionem esse posse penes duos, veluti penes eum, qui precario dederit, et qui precario accepit: penes eum, qui iuste possideat, et penes eum, qui iniuste, veluti praedonem. Labeo contra C. Trebatii Testae magistri sui sententiam reprehendit et censuit, eum solum possidere, qui rei corpore incumbat, ideoque vtritur argumento, hic vt in re facti parum interesse, iuste quis, an iniuste possideat. Placet id ipsum Paulo, qui L. 3. §. 5. D. de Acqu. vel amitt. poss. totam controversiam commemoravit, adiecta ratione, qua Trebatius et Sabini sententia manifesto absurdii arguitur, duos nempe eandem rem corpore simul premere haud posse. Et sequitur Labeonis sententiam Iulianus non quidem Proculianus, vt Hug. Donellus Comment. L. V. c. 25. scriptis, et qui hunc securus est Goeddaeus ad L. 26. D. de V. S. n. 10. et seq. sed Sabiniana scholae additus et Iauoleni discipulus, licet in maiorum placitis defendendis paulo remissior h. L. 19. pr. D. cum dicit: nam neque iustae, neque iniustae possessiones duae concurrere possunt. Agnouerunt Iac. Cuiac. L. V. Obs. t. 22. et L. IX. t. 32. nec non Ios. Fern. de Retes ad tit. D. de acqu. vel amitt. poss. P. I. cap. 2. §. 20. ap. Meerman. in Thes. Iur. Rom. Tom. VII. hoc veterum prudentum dissidium, cuius summa in eo posita videtur, quod res quidem varias iisdem nominibus efferrunt. Nam cum possessio vel naturalis sit, quae corpore fit, vel ciuilis, quae solo animo retinetur; Trebatius et Sabinus dum rem a duobus simul possideri posse aiunt; non de possessione eiusdem generis locutivi dentur; sed ea tantum voluerunt, quae de possessione diuersi generis vera sunt; nam vtramque possessionem voce complectuntur, et vterque de diverso genere possessionis quaestionem affirmant. Agnoscit Trebatius duos iuste, veluti ex emto non magis simul possidere posse, quam duos;

duos iniuste veluti vi aut clam. Labeo autem Trebatium ideo reprehendiisse apud Paulum dicitur, quod veteres reprehendere aliorum sententias etiam falsas dicere solent, cum ampliant. Sic rem sine difficultate explicitum summus ICus Gottfr. Mascouius de Seſt. Sabin. et Procul. Cap. IX. §. 28. Vnde etiam Pomponius ICus Heriscundus L. 15. §. 4. D. h. t. quae ex eius libro 29 ad Sabin. desumpta est, dum scribit: *Placet autem, penes utrumque esse eum hominem, qui precario datus est: penes eum, qui rogasset, qua possederat corpore; penes dominum, quin non deceperit animo possessione, utramque possessionem, et naturalem, et ciuilem in mente habuit.*

## V.

*Res quae precario dari possint?*

Sed et res, quae precario dantur et accipiuntur, vel non, commemorandae veniunt. Constat autem omnes res, quae in patrimonio sunt, vel esse possunt et usum praestant, nec usu consumuntur, precario dari et accipi posse; sive sint corporales, sive incorporales, mobiles atque immobiles, L. 2. §. 3. L. 3. et 4. pr. L. 15. §. 2. D. h. t. propriae et alienae. Et res alienas quidem precario dari posse luculento exemplo illustrat Vlpianus L. 8. pr. D. h. t. vbi simul tradit, dominum rei alienae, cuius voluntate concedens dedit roganti precarium, non agere posse interdicto de precario aduersus rogantem, quia verba interdicti, *Ab illo precario habes, ostenderent, ei demum competere interdictum*, a quo quis precario rogavit, non cuius res est, sed solum concedentem rei alienae agere posse, neque dominum rei alienae aduersus concedentem recte interdictio experiri, quia hic non habeat precario, cum non sibi, sed aliis imperauerit; mandati tamen actionem aduersus hunc habere locum quia illo mandante roganti dedit, aut actionem in factum, si non mandato huius, sed magis ut crederet huic dominus rei alienae hoc fecerit. Serui adeo, quos nouimus apud Romanos rerum mancipi numero habitos fuisse, precario concedebantur, et si quis ancillam alterius precario rogauerat, id actum videri Pomponius L. 10. D. h. t. scribit, ut etiam quod ex ancilla natum esset, in eadem causa haberetur. Regna quoque precario concessa sunt. Certe Vandaloſ in Africa, et Gothoſ in Hispania regibus ius quidem regium, at ſemper reuocabile dediſſe, cum deponerent tales reges pro lubi-



tu, ostendit Hug. Grotius de I. B. et P. L. I. c. 3. §. 11. quod  
 et pluribus aliis exemplis illustravit Simon ad Grotii c. 1. Etiam  
 in seruitutibus praediorum consistere precario rogationem posse  
 Fr. Duarenus ad D. h. t. et Treutler ad D. vol. I. disp. 7. sta-  
 tuunt et certe praeter L. 3. L. 8. §. 5. et L. 15. §. 2. h. t.  
 hoc etiam confirmat Ulpianus L. 12. pr. L. de relig. et sunt. fu-  
 ner. vbi dicit, iter ad sepulcrum peti precario et concedi solere.  
 Existimat quidem Cuiacius XXII. Obs. 37. precario concessam  
 seruitutem proprie non esse seruitutem, quia perpetua eius causa  
 non sit, sed pendeat ex arbitrio et voluntate concedentis, sicut  
 nec proprie seruitus sit, quae ita constituantur, quamdui volam  
 L. 4. D. de seruit. et quandoque libuerit, liberum esse ei, qui  
 concessio, agere interdicto precario L. pen. comm. praedior. Ba-  
 chouius autem plane non seruitutem precario concedi posse pu-  
 tar, quia ne ad tempus quidem constitui possit, multo minus sic,  
 ut ad nutum concedentis reuocetur. At enim vero, si fides ha-  
 benda iis, quae Papinianus L. 4. pr. D. de seruit. scribit; Seruitutes  
 ipso quidem iure negue ex tempore, neque ad tempus, neque sub con-  
 ditione, neque ad certam conditionem, (verbi gratia Quamdui volam)  
 constitui possunt: sed tamen, si haec adiuvantur, pacifici, vel per doli  
 exceptionem occurretur, contra placita seruitutem vindicanti, utra-  
 que tentatio facile concidet, quandoquidem et Caius L. 5. §. 7.  
 h. t. ait, usum seruitutum temporibus secerni posse: quos locos  
 nuper admodum doctissime explicuit eruditissimus Academiae Ha-  
 lensis Antecessor Ern. Christ. Westphalius in interpretat. iur. civ.  
 de libertat. et seruit. praedior. art. ord. digest. quae Lipsiae 1773. oto-  
 nis prodierunt. Seb. III. Cap. 28. p. 541. sequ et 548. Atque  
 profecto si seruitus precario concedi non posset: quomodo po-  
 tuisset Praetor iis, qui seruitutes nec vi, nec clam, nec pre-  
 cario longo tempore possederant, actionem utilem dare ad ser-  
 uitutem acquirendam L. 10. pr. D. si seruit. vindic. Male autem  
 Strauchi et Mascouius opinantur, seruitutem tigni immitten-  
 di precario concedi haud posse, nec auctoritate §. 29. I. de rer.  
 diuis. hoc probatur, cum ibi tantum sit sermo de materia alieno  
 solo inadisciplina non vindicanda propter legem XII. Tabb.  
 qua cauetur, ne quis tignum alienum aedibus suis iunctum eximere  
 cogatur, ne urbs ruinis deformetur, quae ratio huc vel ideo non  
 qua-

quadrat, quod aliquin sequeretur, tales seruitutes ne alio quidem modo constitui posse. Manifesto etiam huic opinioni repugnant verba Caii L. 3. D. h. t. *Veluti si me precario rogaueris; vt per fundum meum ire vel agere tibi licet: vel vt in tectum vel in aream aedium mearum fillicidium vel tignum in parietem immisum habeas* et Pomponii L. 15. §. 2. Precario habere etiam ea, quae in iure consistunt, possumus, ut immissa: vel protecta. Quodsi igitur in seruitutibus precarii rogatio consistit: haud dubie etiam habitatio utpote seruitus personalis tali modo concedi et imperari poterit. Nam et si quidem Lex 15. §. 1. D. h. t. vbi dicitur, hostiles et qui gratuitam habitationem accipiunt, non intelligi precario habitare, disputandi in utramque partem occasionem praebuit viris doctis, quos excitauit Petr. Masconius c. l. tamen cum apud Pomponium sermo tantum sit de hospitibus, qui per cauponem, aut stabularium recipiuntur, non ut animum habitandi habent, sed tantum ut pro commestibiliis et temporaria commoratione aliquid dent, unde et magis dicuntur detineri in domo, sicuti Hahnius ad Wesenbecium ad D. recte notauit, vix poterit firmis rationibus demonstrari, precarii rogationem in habitacione consistere non posse. Atque profecto cum aedes ita dari queant, ut vel inhabitare eas, vel locari alteri licet: quidni etiam precario concedantur? Et quid clarius Imperatorum Diocletiani et Maximiani verbis in L. 2. C. de pree. et Saluiano interdict. habitantis precario heredes ad restituendum habitatulum teneri, contra eos interdicto proposito, manifesto declaratur. De Ministris, quos Principes nonnunquam precario concedunt, item de iure venandi, quatenus sic dari possit, nihil addo, propterea quod Io. Strauschius c. l. cap. 4. §. 5. 6. et 7. de hoc arguento fuisse iam disputauit, qui et controversiam olim inter Hug. Grotium et Ioan. Seldenum de mari libero et clauso agitatam attigit, et in rationes, quibus utramque sententia fulcitur, inquisit. Sed hoc disquirendum venit, num rei propriæ precarium sit, siue an rem propriam quis precario accipere possit? Petr. Masconius c. l. Th. XIII. dicit, negari hoc L. 4 §. 3. D. h. t. et L. 45. D. de R. I. affirmari contra L. 6. §. 4. et L. 11. D. h. t. Neque tamen existimandum est, Ictos his in locis sibi contradicere, aut sententias sibi iniucem plane repugnantes fouere. Qui enim paulo curatius hos locos inspexerit, contem-

◆ ◆ ◆

tenderique inter se diligenter; is facili negotio intelliget, species diuersas ibi propositas esse. Nam Vlpianus quidem *L. 4. §. 3. D. h. t.* et *L. 45. D. de R. I.* hoc innuit, rem, quae proprietatis et dominii iure ad nos spectat, in qua nulli alii ius reale competit, precario a nobis metipsis non haberi posse. Atque idem pronunciant Julianus *L. 15. D. depositi* et Africanus *L. 40. §. vlt. D. de acq. vel amitt. poss.* Verum enim vero longe alter se res habet, cum *L. 6. §. 4. et L. 11. D. h. t.* vbi in illa Vlpianus, in hac vero Celsus dicunt, debitorem pignoratitium rem pignori et in securitatem crediti datam creditori pignoratitio ab hoc precario rogare et consequi posse, cum precarium in hac specie non tam in re sua, quam potius in pignore, cuius possessionem atque custodiam debtor in creditorem, adeoque ius reale transfluit, consistere dici posit. Atque hoc sensu etiam scripsit Florentinus *L. 35. §. vlt. D. de pignorat. act. posse* et precario et pro conducto debitorem re sua vti. cf. etiam *L. 33. §. vlt. D. de usurp. et usuc.* Itaque manifestum est, precarium rei suae, seu propriae, non quidem intuitu proprietatis, verum tamen ratione possessionis et viis consistere posse. vid lac. Raeuardus ad *L. 23. D. de R. I.* et Rittershusius ad *h. l. p. 67.*

#### §. VI.

##### *De obligatione precario accipientis.*

Si querimus de obligatione precario rogantis; certum est, eum non solum rem acceptam in specie restituere, quounque tempore id concedenti placuerit, sed etiam damnum resarcire debere. Quale autem damnum, quae culpa datum sit restitendum; tradit Vlpianus *L. 8. §. 3. D. de prec.* nec non *L. 23. D. de R. I.* vbi docet, eum, qui precario rogauit, solum dolum praestare; nec immerito, cum totum hoc descendat ex liberalitate eius, qui precario concessit, et satis esse, si dolus tantum praestetur. Idem tamen Ictus dicit *L. 8. §. 6. D. de prec.* et generaliter erit dicendum, in restitutionem venire dolum et culpam latam duntaxat, cetera non venire. Nec tamen quis existimet, Vlpianum sibi contradicere, cum in prioribus duobus locis dixerit, precario rogantem damnum dolo tantum datum resarcire debere, in hoc vero posteriori etiam culpam latam praestandam esse. Quem enim fugit, in iure dolo culpam latam aequiparari? Neque ipse Ictus *L. 8. §. 3. D. de prec.* in hac causa hoc diffitet, dum scribit:

scribit: *culpam tamen dolo proximam contineri quis merito dixerit.*  
 Itaque res hic secut se habet ac in commodato, vbi commodata-  
 riis praeter dolum culpam quoque tenetur praestare, et quidem le-  
 uissimam, quam Vlpianus L. 5. §. 5. D. *commod. custodiam et L. 8.*  
 §. 3. D. *de prec. simpliciter culpam* vocat more veterum ICtorum,  
 qui vocabula *custodiae*, *diligentiae* et *culpae* promiscue adhibere, pro-  
 inde negotii, de quo agitur, et nonnunquam culpae nomine omis-  
 sionem exactissimae diligentiae, qua optimus quisque et ad res suas  
 attentissimus paterfamilias vtitur, i. e. leuissimam culpam appellare  
 solent, quemadmodum locis Digestorum et maxime Pomponii au-  
 thoritate L. 16. D. *de condit. furt. et L. 11. D. de negot. gest. lucu-*  
 lenter probatum dedit Abr. Wieling ad Chastanaei Paratiti. *Inst. Tit.*  
*qu. mod. re contr. obl. p. 176. seq. et Lection. iur. ciuil. Lib. I. cap. VIII.*  
*p. 25.* In rationem, cur in precario praeter dolum et culpam la-  
 tam nihil amplius praefetur, inquisuit post Ant. Contium et Ant.  
 Delrionem copiose etiam Rittershusius, qui quatuor in primis mo-  
 menta huius sanctionis affert, quae potissimum eo redeunt. Primo,  
 quod, cum Vlpianus L. 14. §. 11. D. *de furt.* dicat, simile donato  
 precarium esse, in quo res velut ad incertum tempus donata, cuius-  
 que possesso rogantis facta sit, inconueniens videretur ab accipiente  
 culpae rationem postulare, dum nemo cogitur suae rei vel sibi dona-  
 tae, licet negligenter a se administratae et custoditiae, rationem red-  
 dere arg. L. 21. C. *Mandat.* Deinde quoniam satis est, si dolus  
 tantum praefetur, cum precarium, vt L. 5. §. 3. D. *de prec.* ICtus  
 loquitur, ex sola concedentis profiscatur liberalitate, cui repug-  
 naret, si quis culpae rationem ex re non satis custodita reposcere vel-  
 let, neque deceret hominem liberalem, vt leuere ac rigide exige-  
 ret, quā potius beneficiandi causam debeat cogitare. Porro, quod  
 cum concedens quousvis tempore, sicubi mutauerit suam voluntatem,  
 precarium reuocare queat, et penes accipientem instabilis sit vius,  
 et saepenumero intempestiva atque incommoda reuocatio ipsi acci-  
 dat, quippe nondum explero vli vix aequum fuisset praeter dolum  
 et culpam latam plura ab eo posci L. 8. §. 3. et 6. D. *h. t.* Deni-  
 que, quod precario dans, qui passus est rem apud precario possiden-  
 tem interire, vel deteriorē fieri, huiusculpa ac negligentia, id sibi  
 debet imputare. Cur enim non citius reuocauerit, cum tamen  
 potuisse? Nam quod quis ex sua culpa damnum sentit, non in-  
 telligitur



telligitur sentire L. 203. D. de V. S. neque debet aliis, sed sibi imputare cap. 86. de R. I. in 6. Quae rationibus his expositis obuerti possunt argumenta ex similitudine precarii, quam cum commodato quodammodo haberet, et e collatione illius cum deposito nec non mandato petita, cum confutauerit facis Rittershusius, non opus videatur iis remouendis immorari. Etsi vero in regula precario accipiens dolum tantum et latam culpam praestare debet; tamen hoc non carere exceptionibus perspicuum est e L. 23. D. de R. I. Nam cum Vlpianus, postquam de obligatione in contractibus disseruit, statim addat. Sed haec ita, nisi si quid nominati conuenit, vel plus, vel minus, in singulis contractibus: nam hoc seruabitur, quod initio conuenit: legem enim contractus dedit: haud immerito inde inferas, inter precario rogantem et accipientem conueniri posse, vt amplius quid praeter dolum et culpam praestetur, idque pactum tanquam validum seruari debere. Deinde est alia species, vbi etiam haec regula cessat. Tradit hanc ipsam idem ICtus L. 8. §. 6. D. h. t. in verbis: plane post interdictum editum oportebit, et dolum, et culpam, et omnem causam venire, vbi recte notat Rittershusius per particulam plane aequa ac per illam sane exceptionem indicari, et illustrat exemplis e §. 2. 14. et 17. Inst. de act. petitis, Rationem autem, cur post editum interdictum precario accipiens damnum dolo, culpa lata, ac leui, et leuissima, in casu datum, hoc enim innuere vindicentur verba: omnem causam venire, resarcire beat, praebet ipse ICtus h. l. cum dicit: nam vbi moram quis fecit precario: omnem causam debet constituere. Itaque odium morae et alienae rei detentatio, quae semper solet odiosa esse, efficiunt, vt, qui precarium rogauit, durius obligetur, et ad plura, quam alias fit, praeflanta tenetur. Nam reposcenti precarium accipiens confessim tenetur rem suam reddere, neque ullam habet retinendi, inuito domino, causam L. 15. pr. D. h. t. Quod cum non fecerit, sed restituere detrectauerit, expectans, donec aduersarius, qui precario concesserat, interdicto experiretur, diutius rem alienam notente domino, adeoque vitiouse possedit. Inde enim oritur nunc precaria possessio, quam aequa ac clandestinam et violentam in iure vitiostam haberi constat. Vnde recte Donatus ad Terent. in Eunuch. II. 3. 27.

Hanc tu mihi vel vi, vel clam, vel precario

Fac tradas

notat

notat, secundum ius locutus est. Nam his tribus mala fide aliquid possidetur. Ceterum tamen nobis vel non monentibus intelligitur, hanc precariam possessionem non confundi debere cum ea, quam quis concedentis voluntate habet, et quae aduersus omnes alias iusta est. Quod ex ipso possessionis effectu perspicitur. Nam precario qui fundum possidet, is ex interdicto, *Vti possidetis*, aduersus omnes praeter eum, quem rogauit, agere, suamque possessionem defendere ac retinere potest *L. 17. D. h. t.*

## VII.

*Precarium quomodo finiatur?*

Sed nec silentio praetereundi sunt modi, quibus precarium finiri solet. Ac primum quidem cum id petenti ad preces vtendum detur, quamdiu concedenti placuerit *L. 1. pr. D. h. t.* facile est ad intelligendum, finiri quoque illud reuocatione concedentis. Deinde etiam cessat hoc casu, quo quis a creditore rem pignori traditam accepit, et debitum solutum est. *L. 6. §. fin. et II. D. h. t.* Nam cum debitor soluendo debitum obligationi sue satisfecerit; incipit nunc rursus rem suam olim cum adhuc creditori teneretur obstrictus precarii iure et tantum ratione vsus ab hoc acceptam, tanquam propriam possidere. Quid? quod etiam soluitur, cum precarium alienari contingit alicui hoc reuocare volenti; quia per conuentiōnem huiusmodi non licet rem alienam invito domino possideri, vt Gregorius IX. ait *cap. 3. X. de precar.* Denique definit morte accipientis. Nam *L. 12. §. 1. D. h. t.* Celsus scribit: *ad heredem eius, quā precario rogauit, non transire precarium, et adiicit simul rationem, quia nempe ipsi duxtaxat, non etiam heredi concessa possessio est.* Quocum plane conueniunt, quae Pontifex *cap. 3. c. t. sanxit: soluitur precarium obitu eius, cui concessum est.* Ceterum tamen precarii rogationem ad heredem eius, qui concessit, transire, tum ex ipsa *L. 12. §. 1. h. t.* tum ex *L. 8. §. 1. D. h. t.* intelligimus, vbi Vlpianus, *Quod a Titio, inquit, precario quis rogauit, id etiam ab herede eius precario habere videtur: et ita et Sabinus, et Celsus scribunt: eoque iure vitimur.* Ergo et a ceteris successoribus habere quis precario videtur. Idem et Labeo probat: et adiicit, etiam si ignoret quis heredem, tamen videri eum ab herede precario habere.

## D

## VIII.



## VIII.

*De interdicto, quod precarii nomine competit.*

Veniamus tandem ad remedia, quae precarii nomine competunt. Civilis quidem iuris nullam actionem in precario locum habere, tradit Vlpianus L. 14. D. h. t. et L. 14. §. 11. D. de furt. adiecta similitudine, quam hic non repetimus, quia est iam saepius allata. Merito tamen loco ciuilis actionis interdictum hoc introductum est, quod restitutorium et recuperandae possessionis est L. 2. §. 1. D. h. t. Nam hoc intendit, qui tali interdicto experitur, non ut adipiscatur, aut retineat possessionem, sed ut recuperet. Erat hoc interdictum necessarium propterea, quod, reuocato precario, non licet concedenti propria auctoritate praeripere, aut recuperare possessionem rei suae; sed quoniam restitutio per judicem fieri debet, ne forte incidat concedens in vitium violentiae aut clandestinitatis, vti docuit Resitus de interd. et remed. poss. P. III. 2. §. 28. ap. Merm. T. VII. p. 519. Seruauit nobis interdicti huius formulam Vlpianus Lib. 71. ad Edictum in L. 2. pr. D. h. t. vbi ait Praetor: *Quod precario ab illo habes, aut dolo malo fecisti, ut defineres habere, qua de re agitur, id illi restituas.* Si inquiramus in genuinam causam huius interdicti; facile videmus, eam esse repetendam ex denegatione restitutionis rei precario concessae, et iniusta atque ingrata recusatione eius, qui precario accepit. Nam cum in accipientem nullum transferatur dominium rei precario concessae, sed tantum usus et possessio naturalis, dum concedens animo non discessit a possessione, et certe ciuilem retinet; merito accipiens obstrictus est ad rem precario concessam in specie restituendam, potestque hoc nomine conueniri. Itaque aequitas Praetorem mouit, ut remedio quodam succurreret ei, qui precario aliquid dederit aduersus accipientem, quia non erat causa vlla, cur hic illi rem retineret, aut aliquando forstasse ea plane defraudaret. Id quod indicat Pomponius L. 15. pr. D. h. t. *Et habet summam aequitatem, ut eatenus quisque nostro viatur, quatenus ei tribuere velimus:* et Vlpianus L. 2. §. 2. D. eod. cum dicit: *Et naturalem habet in se aequitatem: namque precarium rouocare volenti competit.* Est enim natura aequum, tam diu te liberalitate mea vti, quamdiu ego velim: et vi possim reuocare, cum mutauero voluntatem. Vnde describi potest hoc interdictum per remedium restitutorium recuperandae possessionis competens ei, qui precario dedit aduersus accipientem aut preca-

precario habentem ad rem cum omni causa restituendam, et dannum dolo vel culpa lata datum resarcendum. Sed instituamus re-  
 censum omnium eorum, qui interdicto hoc experiri possunt, et ad-  
 versus quos locum habeat. Ac primum quidem per se intelligitur,  
 vnicuius, qui rem suam, quamque proprietatis iure possidet, sive  
 per alios v. c. seruos, ipso id ratihabente L. 19. §. 1. precario alteri  
 concessit, et reuocare vult, illud interdictum competere. Sed et ei id  
 dari leges ostendunt, qui alteri rem, quam non possidet L. 18. D.  
 h. t. si nempe illi, a quo vi ante dieatus est, L. 6. §. 3. et L. vlt. pr.  
 D. h. t. aut etiam, si rem plane non suam sed iure dominii ad alium  
 pertinentem cuidam precario concessit L. 6. §. 4. L. g. pr. D. h. t.  
 Quod adeo verum est, vt Venuleius L. 7. D. h. t. scriperit: *si eam*  
*rem, cuius possessionem per interdictum, Vt possidetis retinere quis potest*  
*precario alteri dedit, licet dans teneatur domino de proprietate, illum tamen*  
*aduersus accipientem interdicto de precario experiri posse.* Datur etiam  
 hoc interdictum venditori, qui rem distraictam emtori precario con-  
 cessit, donec pretium integrum ab hoc perfolueretur, modo penes  
 emtorem steterit, quo minus perfolueretur L. 20. D. h. t. Nec de-  
 negatur illud heredibus precario concedentis et aliis eius successori-  
 bus L. 8. §. 1. L. 12. §. 1. D. h. t. Etiam is, in quem res, quam  
 alter precario rogauit, alienata est, qui est successor singularis, pot-  
 est hoc interdicto vti ad eam reuocandam L. 8. §. 2. cum precarium  
 videatur durare re ad alium translata. Habet autem interdictum hoc  
 locum non modo aduersus eum, qui precario rogauit, sed et qui  
 precarium tantum habet, quia fieri potest, vt licet quis haud roga-  
 uerit, tamen precario habeat L. 4. §. 2. D. h. t. sive ipse accepert,  
 sive eius nomine atque voluntate, et mandato, aut eo id ratum haben-  
 te alius, c. l. et L. 6. §. 1. L. 13. D. h. t. nam debet scire is et ratum  
 habere, cuius nomine precarium rogatum est, alias interdictum ces-  
 sat. Competit quoque aduersus illum, qui rem suam propriam, in  
 qua tamen alteri ius reale est ex causa peculiari, precario rogauit  
 L. 6. §. 4. D. h. t. vbi Vlpianus dicit, rem oppignoratam precario  
 rogari posse, cum consistat precarium in pignore, quod possessionis  
 tantum, non proprietatis rogetur. Etiam pupillus, qui sine auto-  
 ritate tutoris precarium rogauit, hoc interdicto tenetur. Nam per-  
 eram quidem Strauchius c. l. cap. 3. §. 4. pupillum actione nulla,  
 nullo interdicto conueniri, et Mascouius c. l. Th. II. vix alia. quam



ad exhibendum actione teneri posse existimant, neque loca Digesta in rem excitata hoc probant. Quemadmodum enim in L. 2. D. eōmod. tantum dicitur; aduersus furiosum non commodati, sed ad exhibendum actione experiundum esse, et L. 3. eod aduersus pupillum, si sit locupletior factus, dandam vtilem commodati actionem: ita nec L. 28. D. de fidei iussu huc pertinet, planeque tractat aliam speciem, nempe fidei iussorem conuentum, qui contendit ceteros soluendo esse, uti posse exceptione si non et illi soluendo sint. Et manifesto obstant Strauchii et Mascouii opinioni verba Venuleii L. 22 §. 1. D. de precari. dicentis: *Si pupillus sine tutoris auctoritate precario rogauerit, Labeo ait, habere eum precarium possessionem et hoc interdicto teneri: nam quo magis naturaliter possideretur nullum locum esse tutoris auctoritate, recteque dici, quod precario habes: quia, quod possidet, ex ea causa possidet, ex qua rogauerit, nihil que noui per Praetorem constituantur: siue non habeat, non teneatur.* cf. Cuiacius obs. lib. XXIII. cap. 21. Porro etiam in uniuersum aduersus omnes, qui dolo vel culpa lata quid precario habere desierunt, hoc interdicto experiri precario concedens potest L. 2. pr. L. 8. §. 3. et vlt. D. h. t. Quin etiam aduersus heredes aliasque successores precario rogantis datur hoc interdictum, qui tamen non tam ex propria, quam defuncti persona, cum illis neuriquam, sed huic soli esset possessio concessa, et ex dolo eius haec tenus tantum tenentur, quatenus ad eos peruenit, L. 8. §. vlt. L. 12. §. vlt. D. h. t. Instituto autem hoc interdicto efficitur, ut res precario concessa cum fructibus et accessionibus post editum interdictum perceptis L. 13. §. 7. D. de aqua vel amictu poss. reddatur, actor plane in pristinam causam restituatur, et dannatum dolo aut lata culpa ab accipiente datum resarcitur. Quod si non fuerit factum; condemnatio in tantum fiet, quanti interfuit actoris, ei rem restitui ex eo tempore, ex quo interdictum editum est. Ad questionem, quam diu duret hoc interdictum, facile est respondere, illud perpetuum esse; continet enim persecutionem. Vnde apud Vlpianum Labeo ait: post annum hoc interdictum competere; idque usu fori seruari Domitus scribit, et adiicit, absurdum esse dicere interdictum locum non habere post annum, cum nonnunquam in longum tempus precarium concedatur. Quae duo momenta non recordor me legere apud Strauchium, notata licet

licet in ipsa L. 8. §. 4. 6. et 7. D. h. t. a ICto non sint silen-  
tio praeterita, eorumque et Mascouius c. l. Th. 20. et 21. aliquam  
mentionem iniecerit. Verum cum hoc ipsum interdictum aliquando  
etiam ceflet; nec omitendi sunt modi, quibus institui non pot-  
est. Itaque primo si quis de re sibi restituenda cautum habeat:  
ei non competit L. 15. §. 3. D. h. t. Deinde non datur, si fi-  
lius aut seruus suo nomine, et ignorantre patre aut domino, cu-  
ius in imperio et potestate vterque constituti sunt, precarium ro-  
gauerint; nam cum pater aut dominus non videantur precario ha-  
bere, concedentibus tantum erit actio de peculio, vel de in rem  
verso L. 13. D. h. t. Plures equidem casus non inuenio. Ne-  
que vero existimandum est, solo interdicto utri posse conceden-  
tem, qui precarium reuocare cupit. Habet enim et actionem  
praescriptis verbis L. 2. §. 2. D. h. t. quam Julianus L. 19. §. 2.  
D. h. t. et incerti conditionem appellat, ut itaque in arbitrio  
concedentis positum sit, agerene hoc interdicto, an praescriptis  
verbis actionem mouere velit, licet vtrumque remedium fortiatur  
eundem effectum et tendat ad communem finem. Rationem ori-  
ginis, quam habet haec actio, non inuestigamus, cum foret hoc  
ab instituto nostro alienum, et latius eam prosecuti sunt Cuiacius  
ad Tit. D. de praef. verb. et lib. 8. quaeſt. Papinian. Faber de  
error. pragm. dec. 77. err. 6. et L. 1. §. 1. D. depos. quos et  
excitat Hilliger ad Donellum cap. 34. lit. A. et D. Putant praeterea  
Rittershusius c. l. p. 73. et Retesius c. l. §. 29. precarium  
reuocare volenti adhuc in priomtu esse alias actiones, nempe ad  
exhibendum et rei vindicationem, si precario concedens fuerit do-  
minus rei. Quoniam vero actiones plenam causae cognitionem et  
moram iudicij exigunt, atque in primis rei vindicatio ob dominii  
probandi difficultatem maxime molesta videtur, consultius haud du-  
bie aget, qui superhabitis illis, longe facilius remedium elegerit,  
et hoc interdicto experiatur, quo omnia summarie et celeriter  
peragantur.

## IX.

*Precarium cum precariis iur. can. non confundendum est.*


Statuunt praeterea interpres quidam, cum precario affini-  
tatem aliquam habere precarias iuris canonici, de quibus in Dec-  
ret. Gregor. IX. peculiaris titulus occurrit lib. III. Tit. 14. Sed



quemadmodum iam dudum ab aliis obseruatū, inter *precarium*  
*iuris civilis et precarias iuris canonici maximam differentiam esse:*  
*ira quoque ipsum discrimen a iuris Pontificii interpretibus excogitatum et in mores receptum, inter precariam genere feminino, numero singulari, et precarias, numero pluri, quod primum genus statuunt ad mortem fieri, nec ante reuocari posse, adeo, ut Ant. Contius scriperit, precarium instat vñusfructus esse; alterum vero precarias singulis lustris, h. e. quinto quoque anno renouari, ut post Cuiacium ad tit. 9. lib. 1. feud. et alios Rittershusius c. 1. et in partit. feud. lib. 1. cap. 2. quaest. 9. ex Hostiensi in summ. tit. de *precar.* probauit, iure canonico plane non constitutum esse, docet Schmidius ad Engav. *ELEM. IURIS CAN. PONT. ECL. L. II. TIT. 37. §. 519.* Hanc autem dationem in *precariam*, qua bona ecclesiae alicui ad subleuandam eius indigentiam in vñusfructum dantur, ad tempus determinatum ab antiquitate magis, quam ab vñsu commendari, et formam *precariae* in *L. 14. §. 5. C. de SS. Eccles. Nov. 7. c. 4. C. 10. qu. 2. praescriptam*, ut videlicet finito *precariae* tempore res data una cum alio praedio eiusdem aestimationis restitueretur ecclesiae admodum prosieuam fuisse, egregie obseruat V. Ill. G. L. Boehmerus in *Princ. iuris can. lib. III. Sect. V. Tit. 8. §. 630.**

## ERRATATVM

pag. 11. lin. 32. ad eos peruenit lege ad eum peruenit.



DOCTISSIMO  
DISPVTIONIS AVCTORI  
**AVGVSTO CORNELIO**  
**STOCKMANNO**

S. P. D.

**CHRISTIANVS RAV, D.**

 Quem super argumento haud invitis, aut accurata expositione in-  
digno, libellum seite diligenterque a TE conscriptum mihi obtu-  
sti, eum posteaquam magna cum animi voluptate perlegi, quo faculta-  
te a TE mihi concessa usus, et honestissimae TVAE voluntati morem  
gesisse viderer, emendationibus quibusdam variatum, et vero etiam  
accessionibus nonnullis licet exiguis ac paucis auctum atque locupletatum  
TIBI reddo. Nolui enim multa in eo emendare, aut iis, in quibus  
exponendis summarum industriam iam collocaueras, addere, ne in maiorem  
molem excresceret scripta in breues academicos usus disputatio, et aliena  
potius atque a me posita, quam a TE elaborata in publicum proferre  
vide-

videreris. Nam operam quidem potissimum ab ingenio *TVO*,  
quod ex disputationibus apud me institutis iam satis praetclare perspexi,  
et ab ipsa copia *TVAE* doctrinae, quam indefesso studio *TIBI* com-  
parasti, profectam, in primis volui aliis quoque conspicuam reddi, et ad  
excellentissimarum virtutum *TVARVM* laudem ac commemorationem in  
omnium oculos atque conspectum ferri. Quemadmodum autem *TIBI*  
cupio de me persuasum esse, hac disputationis societate *TEcum* viro  
mihi longe carissimo ineunda, nihil gratius, iucundius nihil mihi contingere  
potuisse, ita quoque non solum *TIBI* egregium eruditionis specimen  
quod editurus es, strenue ac fortiter hunc libellum pro cathedra defendendo,  
sed etiam Amplissimo atque Consultissimo *TVO PARENTI* hunc *TVVM*  
diem ex animo gratulor, et vehementer opto, ut Diuina prouidentia  
diutissime *VOS* saluos fospites atque incolumes tueatur, omnibusque  
omnino, quibus humana censeri potest felicitas, bonis reddat cumulatissi-  
mos, atque in primis summam *TVAM* diligentiam; quam studiis litterarum  
praefitisti, virtutemque insignem mox amplissimis praemiis or-  
net. Ita vero vale *Vir doctissime*, meque hominem *TVI* amantissimum  
amore perpetuo vicissim amplectere. Scripsi Lipsiae Kalend. Maii. an.  
*MDCCLXXIII.*



V  
D  
18

Leipzig,

Diss., 1774





G.25. num. 42.

19  
DE  
**P R E C A R I O**  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS  
AVCTORITATE  
P R A E S I D E  
**C H R I S T I A N O R A V**  
PHILOSOPHIAE ET IVRIS VTRIVSQUE  
DOCTORE  
A. D. IIII. MAII CCCLXXXIII  
H. L. Q. C.  
D I S P V T A B I T  
AVCTOR ET RESPONDENS  
**A V G V S T V S C O R N E L I V S S T O C K M A N N V S**  
N V M B V R G E N S I S

L I P S I A E

E X O F F I C I N A L A N G E N H E M I A

